

431

429

435

425

440

420

480

380

330

Ende

Anfang

416

eos separassent, unus alterum discerpsisset. Videns autem Sarracenus, quod vindictam intentam in militem facere non posset, festinate coepit sursum currere, volens adjutores supernos inducere, nos autem eum tenuimus, licet plurimum clamantem et renitentem. Eramus enim in magno periculo, si de manibus nostris evasisset, et male contenti fuimus de milite. Post multa autem certamina verborum aliqui milites enodantes bursas Sarraceno illi denarios aliquos ostenderunt, ut maneret et a clamoribus cessaret; et peregrino, qui eum percusserat, pacem promitteret. Quid plura? mox ut vidit denarios, mutatus est in virum alterum, nam vultus ejus serenatus fuit, et vox blandior effecta, et mores mitigati, totumque se obtulit cum hilaritate ad nostra obsequia, et qui prius mitigari nec verbis nec verberibus nec multitudine peregrinorum poterat, visis denariis ad obsequendum se parat, quia inquit Salomon Eccles. X.: pecuniae obedient omnia. Accepta ergo pecunia descendit in hiatum, et omnibus aquam hausit et liberaliter tribuit. Cumque omnes de aqua illa clara bibissemus, ascendimus sursum, et dictis ante os speluncae orationibus indulgentias accepimus (†). Est enim fons ille fons Virginis gloriae: dicitur enim, quod die XL., quando cum puero Jesu de Bethlehem venit cum Joseph, ut puerum Jesum praesentaret in templo, in hiatum hunc descendit, et ibi hospitata fuit, quia in civitate hospitium non habuit, sicut nec in Bethlehem nec juxta templi atrium manifeste manere cum aliis pauperibus voluit, quia Herodem timuit. Percrebuerat enim fama de nato rege, propter quem Herodes turbatus fuit et omnis Hierosolyma cum ipso. De ponte autem illo poterat secrete ad portam auream ascendere, et sine nota puerum Jesum inducere (B) in templum, et perficere ea, quae spectabant ad legem purificationis; sicut et factum fuit: nemo enim affuit, nisi qui Spiritu sancto instigati fuerant, ut illa hora adessent. Insuper quando singulis annis in Pascha in Jerusalem venit, in isto hiatu mansit, et dum peregrinaret, hic transibat, et circa fontem refocillabatur.

